



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Felix exitus, ibid.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1581. quidem plenus spe futurum ut, Deo iuuante, id omne patienter ferrem. Recolebam ut potui Christi patientis acerbissimos cruciatus, videbarque sentire quasi vulnus in vola sinistrae manus, & copiosum sanguinem inde fluentem. Nullum in ea deinde vulnus apparuit, at eo tempore alium dolorem nullum habui. Sed ut ad id quod propositum mihi erat reuertar: Quoniam nulla iam aut perexigua spes superest vos, Patres mei, eâ libertate quâ olim conueniendi, Ego me interim vobis trado, rogoque demississimè ut de me statuatis quemadmodum in Domino iudicaueritis. Si quidem absentem admittere fas est, totâ mentis contentione flagito admitti, ut cum humilibus de me humiliter sentiam, & cum pijs enuntiem laudes Dei, & gratias agam perpetuas de acceptis beneficiis, adiutusque denique multorum votis maiori cum certitudine brauium persequar. Noui fraudes inimici infinitas esse, callidus serpens in omnem se versat partem ut simplicium animos deprauet, cum sine duce progredi contendunt, transfigurans se etiam in Angelum lucis; vnde rectè docemur probandos esse spiritus vtrum sint à Deo. Vobis itaque spiritualibus, atque in huiusmodi certaminibus versatis vniuersum hoc negotium committo; per viscera misericordiæ Dei nostri obtestans, uti me dignemini vestris consiliis, vestrâ prudentiâ regere: Atque si ex Dei gloria, si ex Ecclesiæ bono, si ex sempiterna salute mea esse iudicatis me ad hanc minimam Societatem nominis *Iesu* promouere, his ipsis literis promitto Obedientiam coram Deo & coram Tribunali conscientiæ meæ, omnibus & singulis Prælatiis seu superioribus iam constitutis, vel in posterum constituendis, omnibus etiam Regulis ac Legibus in eadem Societate receptis, quantum mea me facultas & Dei gratia iuuabit: Diem istum, & hanc meam scriptionem testem habebitis in extremo Iudicij tempore. Si de corporis valetudine agatur, nulla videtur ambigendi causa: Restitutæ enim mihi sunt penè vires pristinæ, & quotidie euado valentior; ego me vestris precibus commendo, anxie expectans quid de me vos decreturi estis. Valete.)

Felix exitus

Antequam produceretur ad dicendum de capite, curauerat sibi aperiri coronam in verrice, ut palam ostenderet quantam ordinis sacri haberet exultationem, & quam non essent eius ordinis indicia erubescenda. Crucem etiam paruam concinnarat ex ligno, inductâ carbone Christi affixi effigie: hanc manu gestabat tesseram militis Christiani: Atque hæretico conante eam eripere, "Poteris fortasse, inquit, è manu istam extorquere, at ex animo nunquam illum quem hæc Crux ostendit; eius enim retinendi causâ sanguinem vitamque profundam, quoniam pro me ipse suam in Cruce misericorditer profudit.) Hac animi inconcussa firmitate tertius post *Campianum* & *Sherwinum*, gloriosa morte clausit diem; merito inter Societatis Patres numerandus quorum se consortio atque instituto voti adeo solemnem Religionem obstrinxerat. Horum autem triumphum quoniam *Personius*, ipse describit, literis ad Alphon-



Alphonsum Agazzarium Seminarij de vrbē Rectorem, decimo Calendas I 581.  
Ianuarij huius anni datis eas hic recitare operæ pretium erit vt tanti viri testi-  
monio res per se testata illustretur, sunt autem huiusmodi.

XXXV. Admodum Reuerende Domine: Oblatâ mihi hac commodi-  
tate mittendi literas, quam auidè expectij (per aliquot enim iam dies copia om-  
nis obstrueta fuit) non potui ad te non scribere pauca de rebus nostris, de qui-  
bus haud dubiè breui habituri estis longiorem narrationem. Post omnes dis-  
putationes nostras in controuersijs, de quibus audistis, die 20. & vigesimo pri-  
mo Nouen. b. producti fuere ad tribunal & lætæ Majestatis damnati tredecim  
Sacerdotes, nimirum, *Edmundus Campianus* Societatis Iesu, *Rodolphus Sher-  
winus*, *Jacobus Bosgrauus*, *Thomas Fordus*, *Thomas Cottamus*, *Edwardus  
Kislonus*, *Robertus Ionsonus*, *Lucas Kyrbaeus*, *Alexander Briantus*, *Ioannes  
Harius*, *Georgius Shirtus*, *Guilielmus Filbeus*, *Laurentius Richardsonus*, &  
quartusdecimus Iurisprudentiæ studiosus, *Henricus Ortonus*. Horum opinor  
plus minus octo in Romano Seminarie aliquando fuerunt. Obijciabantur illis  
multa cum ad tribunal starent, sed præcipuè quod conspirassent cum summo  
*Pontifice* Rege Catholico & Duce Florentino de inuadenda Anglia; quod  
nunquam illis in mentem neque per somnium quidem venit; nam optimè se  
defendebant in omnibus; Accusatores eorum præcipui erant tres iuuenes qui  
aliquando Romæ fuerant, *Mindæus*, *Sleddus*, & *Caddæus*, qui neque propter  
ætatem nec propter conditionem infimam aliquid huiusmodi scire potuif-  
sent si factum fuisset, multo minus cum clarissimè appateret ex aliorum res-  
ponsonibus & factis & ipso rerum euentu nunquam tale aliquid cogitatum  
fuisse, & reuera isti lycophantas prorsus agere videbantur; obijciendo solum  
res communes, & quod nihil commune haberet eum huiusmodi crimine;  
Quod verbi causa, *Pontifex* illis fauisset; quod cum Cardinalibus quidam  
illorum locuti fuissent, & similia, quæ planè ostenderent vel metu vel mer-  
cede conductos ad accusandum. Videbatur tamen iam antea constitutum vt  
omnes condemnarentur; Itaq; nulla præualuit defensio quin post aliquot ho-  
ras altercando consumptas sententia mortis in omnes proferretur, quam illi  
latissimè admiserunt, & vnusquisque protestatione p̄mum factâ coram  
Deo, Angelis, Cælo & terra de sua innocentia quoad obiecta scelera, ostendit  
singularem quandam consolationem de hac sorte, idque testatus est ali-  
qua scripturæ sacræ sententiâ. *Pater Campianus* altâ voce recitauit, *Te Deum  
Laudamus*. *Pater Sherwinus*, *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & læ-  
temur in illa*; Alij alia plenissima consolationis spiritualis proferbant,  
cum admiratione & commotione omnium qui aderant, ij autem p̄ne infi-  
diti erant.

XXXVI. Certè, Domine mi, res erat miranda, & quæ omnibus fere  
stuporem adferebat, videre tot iuuenes post maxima & plurima tormenta  
Christi causa perlata tam constantet & alacriter mortis læuissimæ iudi-  
cium accipere; vnde liberare se minima quadam cessione potuissent;

O 2

Rescribat

Litere Per-  
sonij de  
morre Cam-  
piani & So-  
ciorum,

Hos habue-  
re occultos  
delatores  
testes fue-  
runt alij  
publice,